



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118278

§. 49. Ægidius Albornius calumniis appetitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Sæcul. XIV. earum transitum non consentiat; nos, &
A.C. 1365. Imperator Venetis, aliisque Italicis navi-
 bus in Orientem pervehendas curabi-
 mus: & pro sumptibus itineris Impera-
 tor dimidios Bohemiæ suæ reditus ad
 triennium liberaliter offert.

§. XLIX.

*Ægidius Albornius calumniis
 appetitur.*

Rayn. n. 9. 10 Magna obsequia, quæ Cardinalis Ægi-
 dius Alburnius Ecclesiæ Romanæ
 in Italia præstiterat, haud obstabant, quin
 ejus nomen per calumnias ad Papam de-
 ferretur. Dicebatur adversus Barnabam,
 & alios Ecclesiæ inimicos molimina
 quædam suscepisse in pactiones cum eis
 factas pugnantia; & proventus Ecclesiæ
 in rem suam avertisse. Igitur deprecari
 legationem Siculam ab Urbano sibi de-
 mandatam, & ut se ipse purgaret, Ro-
 manam adire curiam volebat. Sed Pa-
 pa ei scripsit, esse persuasam sibi ejus in-
 nocentiam, & ardens in Ecclesiam stu-
 dium: contemneret sermones vanos,
 suaque officia continuaret, etsi jam pro-
 vectus annis: denique legationem Si-
 culam sex abhinc menses acceptam stre-
 nue obiret. Dabat 30 Jan. 1365. Hæc
 legatio Neapolim contingebat: quo Æ-
 gidius reipsa delatus Reginam Joannam
 adstrin-

adstrinxit, ut Papæ tanquam fiduciario Patrono suo fidem juraret.

Sæcul. XIV.
A. C. 1365.

§. L.

Imperantur concilia provincialia.

Eodem anno Papa, ut errata multa, speciatim beneficiorum complurium possessionem corrigeret, celebrari concilia jussit; ac tertio Maji hanc edidit sanctionem: Ut dolentes audivimus: quidam Clerici tam seculares, quam religiosi tenent tot beneficia, ut res tolerari nequeat: hinc venit diminutio divini servitii, ruina ædificiorum, jactura bonorum ac jurium Ecclesiæ, & conquestio populorum pastoribus carentium. Quapropter quibusdam Archiepiscopis, & Suffraganeis eorum præcepimus, ut agerent conventus, & omnes sibi subjectos Ecclesiasticos possidentes beneficia, vel aliqua obtinendi promissum nactos admonerent, ut ipsis intra spatium mensis suorum beneficiorum nomina, qualitates, ac æstimationes pro decimis mitterent, alioquin beneficiis privandi suis, quæ nostro reservamus arbitrio. Imperamus etiam, ut Episcopi post mensem horum beneficiorum indicem in commentario clauso, & suis munito sigillis ad Metropolitanos suos perferendum curent; & isti tam suos, quam Suffraganeorum com-

to. II. Conci
p. 1936.

p. 1938.

N 4 men-